

[39] Eō tempore in rēgiā prōdigium vīsū ēventūque mīrābile fuit. Puerō dormientī, cui Serviō Tullio fuit nōmen, caput arsisse ferunt multōrum in cōspectū; 2 plūrimō igitur clāmōre inde ad tantae reī mīrāculum ortō, excitōs rēgēs, et cum quīdam familiārium aquam ad restinguendum ferret, ab rēgīnā retentum, sēdātōque eam tumultū movērī vetuisse puerum, dōnec suā sponte experrēctus esset; 3 mox cum somnō et flammam abīsse. Tum abductō in sēcrētum virō Tanaquīl ‘Vidēn tū puerum hunc’ inquit, ‘quem tam humilī cultū ēducāmus? Scīre licet hunc lūmen quondam rēbus nostrīs dubiīs futūrum praesidiumque rēgiae adflīctae; proinde māteriam ingentis pūblicē prīvātique dēcoris omnī indulgentiā nostrā nūtriāmus.’

4 Inde puerum liberum locō coeptum habērī ērudīrīque artibus quibus ingenia ad māgnae fortūnae cultum excitantur. Ēvēnit facile quod dīs cordī esset: iuvenis ēvāsīt vērē indolis rēgiae nec, cum quaererētur gener Tarquiniō, quisquam Rōmānae iuventūtis ūllā arte cōferrī potuit, filiamque eī suam rēx dēspondit. 5 Hic quācumque dē causā tantus illī honōs habitus crēdere prohibet servā nātum eum parvumque ipsum servīsse. Eōrum magis sententiae sum, quī Corniculō captō Ser. Tullī, quī prīnceps in illā urbe fuerat, gravidam virō occīsō uxōrem, cum inter reliquās captīvās cōgnita esset, ob ūnicam nōbilitātem ab rēgīnā Rōmanā prohibitam ferunt servitiō partum Rōmae ēdidisse in Prīscī Tarquinī domō; 6 inde tantō beneficiō et inter mulierēs familiāritātem auctam et puerum, ut in domō ā parvō ēductum, in cārītate atque honōre fuisse; fortūnam mātris, quod, captā patriā, in hostium manūs vēnerit, ut servā nātus crēderētur fēcisse.

[40] Duodēquadrāgēsīmō fermē annō ex quō rēgnāre coeperat Tarquinius, nōn apud rēgem modo sed apud patrēs plēbemque longē māximō honōre Ser. Tullius erat. 2 Tum Ancī filiī duo, etsī antea semper prō indīgnissimō habuerant sē patriō rēgnō tūtōris fraude pulsōs, rēgnāre Rōmae advenam nōn modo vīcīnae sed nē Italicae quidem stirpis, tum impēnsius iīs indīgnitās crēscere, 3 sī nē ab Tarquiniō quidem ad sē redīret rēgnum, sed praeceps inde porrō ad servitia caderet, ut in eādem cīvitate post centēsimum ferē annum quam Rōmulus deō prōgnātus deus ipse, tenuerit rēgnum dōnec in terrīs fuerit, id servus servā nātus possideat. Cum commūne Rōmānī nōminis tum praecipuē id domūs suae dēdecus fore, sī Ancī rēgis virīlī stirpe salvā nōn modo advenīs sed servīs etiam rēgnum Rōmae patēret. 4 Ferrō igitur eam arcēre contumēliam statuunt.

Sed et iniūriae dolor in Tarquinium ipsum magis quam in Servium eōs stimulābat, et quia gravior ultor caedis, sī superesset, rēx futūrus erat quam prīvātus; tum Serviō occīsō, quemcumque alium generum dēlēgisset, 5 eundem rēgnī hērēdem factūrus vidēbātur; ob haec ipsī rēgī insidiae parantur. Ex pāstōribus duo ferōcissimī dēlēctī ad facinus, quibus cōsuētī erant uterque agrestibus ferramentīs <armātī>, in vestibulō rēgiae, quam potuēre, tumultuōsissimē speciē rīxae in sē omnēs appāritōrēs rēgiōs convertunt; inde, cum ambō rēgem appellārent clāmorque eōrum penitus in rēgiam pervēnisset, vocātī ad rēgem pergunt. 6 Prīmō uterque vōciferārī et certātīm alter alterī obstrepere; coercitī ab līctōre et iussī in vicem dīcere tandem obloquī dēsistunt; 7 ūnus rem ex compositō ordītur. Cum intentus in eum sē rēx tōtus āverteret, alter ēlātam secūrim in caput dēiēcit, relictōque in vulnere tēlō ambō sē forās ēiciunt.

[41] Tarquinium moribundum cum, quī circā erant, excēpissent, illōs fugientēs līctōrēs comprehendunt. Clāmor inde concursusque populī, mīrantium quid reī esset. Tanaquīl inter tumultum claudī rēgiam iubet, arbitrōs ēiēcit. Simul quae cūrāndō vulnerī opus sunt, tamquam spēs subesset, sēdulō comparat, simul sī dēstituat spēs, alia praesidia mōlītur. 2 Serviō prope accītō cum paene exsanguem virum ostendisset, dextram tenēns ōrat nē inultam mortem socerī, nē socrum inimicīs lūdibriō esse sinat. 3 ‘Tuum est’ inquit, ‘Servī, sī vir es, rēgnum, nōn eōrum quī aliēnīs manibus pessimum facinus fēcēre. Ērige tē deōsque ducēs sequere, quī clārum hoc fore caput dīvīnō quondam circumfūsō ignī portendērunt. Nunc tē illa caelestis excitet flamma; nunc expergīscere vērē. Et nōs peregrīnī rēgnāvimus; quī sīs, nōn unde nātus sīs reputā. Sī tua rē subitā cōnsilia torpent, at tū mea cōnsilia sequere.’

4 Cum clāmor impetusque multitudinis vix sustinērī posset, ex superiōre parte aedium per fenestrās in Novam viam versās – habitābat enim rēx ad Iovis Statōris – populum Tanaquīl adloquitur. 5 Iubet bonō animō esse; sopītum fuisse rēgem subitō ictū; ferrum haud altē in corpus dēscendisse; iam ad

sē redisse; īnspectum vulnus abstersō cruōre; omnia salūbria esse; cōnfīdere propediem ipsum eōs vīsūrōs; interim Ser. Tulliō iubēre populum dictō audientem esse; eum iūra redditūrum obitūrumque alia rēgis mūnia esse. 6 Servius cum trabeā et lictōribus prōdit ac sēde rēgia sedēns alia dēcernit, dē aliīs cōsultūrum sē rēgem esse simulat. Itaque per aliquot diēs, cum iam exspīrasset Tarquinius, cēlātā morte, per speciem aliēnae fungendae vicis suās opēs firmāvit; tum dēmum palam factum est complōrātiōne in rēgiā ortā. Servius praesidiō firmō mūnītus, p̄rimus iniussū populī, voluntāte patrum rēgnāvit. 7 Ancī liberī iam tum comprēnsīs sceleris ministrīs, ut vīvere rēgem et tantās esse opēs Servī nuntiātum est, Suessam Pōmētiam exsulātum ierant.